

secundum se: sicut dixisti quoniam celum est subiectum sui mo-
tus sine tempore in se ex quadam forma motiua: ut dicitur infra
quoniam mouens se ipsum non potest ab aliquo extrinseco moue-
ri: ut probasti tu: & certe anima uel substantia intellectiua est quid
extrinsecum a celo: & cum sit impossibile ex duabus substantiis
sic actu existentibus fieri unum simpliciter sine suis essentialibus
relinquitur animam celi non esse intellectum ideo probabo quid
est: & de quo est: & quare est celum: & sic patebit de anima celi quid
sit. F. Omitte si placet: quia forte hec nunc probatio longa ni-
mis esset disgressio uideamus: quomodo & qualiter inquirunt de
anima celi secundum opinionem aristotelis: qua. s. anima sit ani-
matum. Astro. Recte meministi. aristoteles duodecimo me-
taphisicæ dixit quod in motu celi est considerare aliquid omnino in-
motum: quod mouet: & aliquid motum quod mouet illud autem
omnino inmotum quod mouet: mouet sicut desiderabile nec du-
bium quia ex eo quod mouet inclinatur ad mouendum: adde tu quia
desiderat & delectatur in fine quem intendit: in quo perficitur. ostendit
autem aristoteles quod non sicut desiderabile desiderio concupiscentiæ
quod est desiderium sensus: sed sicut desiderabile desi-
derio intellectuali: unde dicit quod primum mouens non motum est
desiderabile & intellectualis: igitur id quod ab eo mouetur est de-
siderans & intelligens celum. s. nobiliori modo quam nos: neque tamen per fan-
tasinata continuabit intellectus corporibus celestibus: sed oportet
dicere quod secundum substantiam suam uniat corpori celesti ut for-
ma: hoc ego argumentum salua reuerentia ut statim dixi credo non
ualere: nam licet non sit desiderabile desiderio concupiscentiæ: est tamen de-
siderabile desiderio finali perfectibili uel complebili: quoniam agens natu-
rale naturaliter desiderat perficere complere & facere quod intendit
est si non sit animatum anima intellectiua: ideo continue mouetur celum anima
eius per perfectionem quam acquirit in motu sibi a naturali instinctu
dato in quo ut ita dicam quiescit mouens quia nihil aliud intendit
quam mouere: & hic non est actus anime intellectualis: sed actus natu-
ralitatis suæ: & instinctus naturalis: & proprietatis inductæ sibi a
conditore æterno: ideo non sequitur quod celum sit intelligens sine aliis co-
essentialibus sed sequitur quod sit desiderans: & complens desiderium suum
naturale in quo perficitur & delectatur nobiliori & excellentiori modo quam
nos delectemur in nostris prout probabit cum de appetitu & delectatione &

opinio arst. qua anima re
animatur.